

AD NATALITIA  
IMMANUELIS,

ÆTERNI REGIS, ÆTERNIQUE DOMI-  
NATORIS DEBITA DEVOTIONE  
IN HAC ECCLESIASTICA  
SOLENNITATE CELE-  
BRANDA

*Omnes & singulos literaria Reip; cives  
invitat*

Rector & Senatus Academiae Regio-  
montanae.

*Dominus custodiat exitum & introitum nostrum ex hoc  
nunc & usq; in seculum.*



Typis LAURENTII SEGBADII

Anno Dominico, MD CXXXVI.

*incunab.*

178

~~295585~~





*Deest Christi multum desiderata & diu expectata Nativitas; adest solennitas inelyta & in praesentia Salvatoris grates & laudes Visitatori suo per orbem terrarum Sancta reddit Ecclesia. Gaudia nobis coelitus nunciantur, letitiae imperatur. Nox ista sacri partus conscia, noctis fulgoribus illustratur. Gloriantur in caelestibus superi, pax in terram bonae voluntatis hominibus confirmatur. Adsunt Angeli, loquuntur pastoribus, non dedignantur loqui personis humilibus; & cum ipsi sublimes sint, infimos non aspiciunt. Nec luce insolita, nec Angelorum pastores terrentur praesentia; Nec satis fuit superius arcana referre caelestia, etiam hominibus **P A X R E D D I T A** nunciatur, & bonae voluntatis novi muneris largitate consecratur affectus. O Domine, quam admirabile est nomen tuum! Verè tu es Deus, qui facis mirabilia. Non modò mundi huius staturam admiror, non stabilitatem terrae, cum eam complectatur volubile firmamentum; non singulos dies, non Lunae defectum & incrementum; non Solem semper integrum & laborem ejus perpetuum; non temporum vicissitudines, in quibus quaedam aereant, quaedam videntur, & quae mortua modò videntur reviviscunt: Miror Deum in utero virginis, miror Omnipotentem in cunabulis, miror quomodò verbo Dei Caro adhaeserit, quomodò incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit, miror in hac dispensatione tanta dispendia temporis & tam lentos processus ad obedientiam Salvatoris &c. Hic hic me complectitur stupor, & eum Habacuc cano: Consideravi opera tua Domine, & expari c. 3.  
 2. Miror jejunium, miror tentationes, miror Omnipotentem in sepulchro jacentem, miror occisum & resurgentem.*

*Sonuit vox Letitiae in terra nostra, vox exultationis & salutis in tabernaculis peccatorum. Auditum est verbum bonum, verbum consolatium, sermo jucunditate plenus, dignus omni acceptione. Iubilante montes laudem, & omnia ligna silvarum plaudite manibus ante faciem Domini **Q V I A V E N I T**. Audite caeli & auribus percipite terram, obstupesce & lauda universa creaturae, sed tu magis o HOMO! Jesus Christus Filius Dei nascitur in Bethlehem judae. Quis tam lapidei cordis, cujus anima non liquefacta sit in hoc verbo? Quid annunciari dulcius poterat? Quid delectabilius commendari? Quid tale Vnquam auditum est, aut quid simile aliquando mundus accepit? Jesus Christus.*



Christus: filius Dei nascitur in Bethlehem Judæ. O breve verbum  
 de verbo abbreviato, sed cælesti suavitate resertum! Laborat officio,  
 mellibus dulcedinis copiam latius effundere gestiens, nec inveniens verba,  
 Tanta squidem est gratia sermonis hujus, ut continuo incipiat minus  
 sapere, si vel unum jota mutavero: Jesus Christus Filius Dei nasci-  
 tur in Bethlehem Judæ. O Nativitas illibata sanctitate, honorabilis  
 mundo, amabilis hominibus, collati magnitudine beneficij, investigabilis  
 etiam Angelis sacri profunditate mysterij, & in his omnibus admirabi-  
 lis singulari excellentiâ novitatis, ut pote que nec primam similem visa  
 est, nec habere sequentem: O partus solus sine dolore, solus nescius pu-  
 doris, corruptionis ignarus, non reserans sed consecrans virginalis V-  
 teri templum! O Nativitas supra naturam, sed Pro natura, miraculi  
 excellentia superans, sed reparans virtute mysterij! Fratres genera-  
 tionem istam quis enarrabit? Angelus nunciat, Virtus obumbrat Al-  
 tissimi, supervenit spiritus, virgo credit, fide concipit, virgo permanet.  
 Quis non miretur? Nascitur Altissimi Filius, Deus de Deo genit-  
 tus ante secula: Nascitur Verbum infans, quis vel satis miretur? Nec  
 sanè otiosa Nativitas, aut infructuosa dignatio Majestatis. Jesus  
 Christus nascitur Filius Dei in Bethlehem Judæ. Vos qui in pul-  
 vere estis, Expergiscimini, & laudate: Ecce Dominus veniet cum salu-  
 te. Respirate perdit, tenit Jesus querere & saluum facere quod perierat.  
 Morbidi convalescite, venit Christus qui contritos corde sanat unctione  
 misericordiæ suæ. Exultate quicumq; estis grandia concupiscentes, de-  
 scendit ad vos Filius Dei, ut regni sui faciat heredes. Filius Dei factus  
 est homo, ut homines faceret filios Dei.

Hæ sunt, Academici cives, piæ devotiones, quibus olim  
 B. Cyprianus, nil nisi martyria in verbis spirans, unâ cum Bernhar-  
 do Clavellensis Monasterij Abbate devoto & religioso Natalicia  
 Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi celebrarunt, & alios ad  
 devotè & religiosè perendam solennem hanc Festivitatem  
 adhortati sunt. Eorum verba nostra pro tempore facimus, om-  
 nesq; & singulos literariæ nostræ Reipubl. omnium ordinum,  
 dignitatum, ætatis & conditionis cives piè animamus, ut hæc  
 etiam vice Nataliciam Festivitatem Veri nostri Messis pari de-  
 votione celebrent, seq; ipsos mutuis exhortationibus animeat



ad devotam tanti mysterij in publicis & solennibus Christiano-  
rum conventuum congregationibus considerationem, præter-  
tim cum NOBIS hic Puer natus, NOBIS hic Filius datus  
sit. Propter NOS enim & nostram salutem descendit Dei Fi-  
lius de cœlo & incarnatus est de S. Sancto ex Maria virgine & Ho-  
mo factus est. Conjugite vestra corda, vestros animos, vestros  
affectus, vestras lingvas, Deoq; Ter optimo, Ter Maximo sub ini-  
tium hujus anni debitas laudes persolvite. cum sit

Exoptata diu Nostris PAX reddita terris. Laudate Dominum  
in Sanctuario ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus. Laudate eum  
propter fortitudinem ejus, laudate eum secundum multitudinem magni-  
tudinis ejus. Laudate eum in sono tube, laudate eum in Psalterio & Ci-  
thara, laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis &  
organo, laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymba-  
lis jubilationis; Omnis spiritus laudet Dominum, Halleluja.

GLORIA IN EXCELSIS DEO, PAX IN  
TERRIS, IN HOMINIBUS BONA VOLUNTAS.

Ut autem literatis nostræ Reip: civibus aliqualem ansam  
exhibeamus ad piam & devotam divini hujus, vereq; tremendi  
Mysterij meditationem, nonnulla proponemus ex prophetiâ  
Haggæi C. 2. de majore gloriâ posterioris domus præ priore, monstra-  
turi, prophetiam illam de MESSIA intelligendam, nullamq;  
aliam prælataræ Posterioris templi præ priore causam reddi  
posse, nec debere, præter eam, quod MESSIAS in illo po-  
steriore tēplo fuerit præsentandus, varijsq; medijs manifestandus.

Quo tempore Haggæus Propheta vixerit & prophetarit,  
Propheticum ejus Exordium testatur, tempore Darij Persarum Regis  
Idem testatur Esra Cap. 5. 1. & Zacharias hinc inde. Nobis hic  
Darius non tertius est à Cyro, aliâs Hystaspis dictus, sed sextus in  
ordine, aliâs Nothus. 1. Hic enim Darius ab ipso Esra medius plane fi-  
tus inter duos Artach sasta. At græca historia, historica plane fi-  
de conscripta, hunc Darium Nothum medium locat inter Artaxer-  
xerem Longimanum & Artaxerxem Memora 2. intervallum à mansu-  
dato Cyri de reductione populi ex Babylonica pressura & in-  
gressu in patriam, de reâdificando iterum templo, omnium cum  
hominum memoriâ exciderat Esræ 5. v. 3, 9, 10, 17. C. 6, v. 1, 2.  
A morte



A morte verò Cyri ad secundum Darij Histaspis vix 10 anni es-  
 fluxerant. Quâ de re in Chronologicis fusius tractatur. Voluit  
 autem Deus durante Persicâ Monarchiâ & toto centenârio in hoc  
 regno jam elapso suo populo succurrere. eundemq; in illis tem-  
 porum, quibus premebatur, angustijs erigere, propterea tres  
 insignes prophetas *Haggæum*, *Zachariam*, *Malachiam* prophetiæ  
 dono claros ad ipsos misit. Dubius enim, miser & ferè collapsus  
 erat Judæorum in patriâ status, vivente adhuc Cyro. Nam eorum  
 vicini, hostes infequissimi, varijs in aulâ Persica delationibus id  
 obtinuerunt, ut structura Dominicæ domus impedita fuerit Cy-  
 ro adhuc vivente, in cluso simul *Cambysis* regno *Esr.* 4. 5. 2. sub *Darij*  
*Hystaspis* ibidem, ubi particula  $\Upsilon$  inclusivum seculum habet  
 ut alibi firmatum est. 3. sub *Ahasvero* 20. v. 6. is est *Xerxes*, 4. sub  
*Artaxerxe Longmano* v. 7. & seq; usq; ad annum secundum *Darij*  
*Nothi* v. 24. Est autem intervallum à morte Cyri ad secundum  
*Darij* *Nothi* 106. annorum. In hoc afflicto à reditu ex Babylone  
 statu, Ecclesiasticus partim, Partim politicus, partim Oeconomi-  
 cus status varijs modis in Judæa perturbabatur, Judæorum  
 cultus nullum ordinarium locum habebat, varij Judæorum cir-  
 ca connubia committebantur excessus, testibus libris *Esræ* &  
*Nehem*: Legatur et *Joseph.* l. II. Deus ergo suarum promissionû  
 de stabilitate Davidici regni & præsertim de MESSIA me-  
 mor, in alterâ Persici regni medietate, collapsis sui populi re-  
 bus clementer succurrere voluit. Nam & viro magnæ synago-  
 gæ tum suo populo clementer concessit, qui Biblica exemplaria  
 quotquot tum extabant summa cum diligentia revisa pristino  
 nitore restituerunt, inter quos vel maxime eminebat *Esræ* legis-  
 peritissimus & in scribendo promptissimus *Cap:* 7. 6. Varij præ-  
 terea circa contracta connubia excessus fuere correcti, multi  
 propterea è medio populi planè relegati. Collapsus insuper  
 Ecclesiæ status in melius erectus; erecta & ad finem perducta  
 posterioris templi structura, quadriennij spatio à 2. Dary anno  
 ad sextum usq; *Esræ* 6. 15. Cui operi vel maxime inserviebant  
 divinæ illæ per *Haggæum* Prophetam factæ adhortationes de rez-  
 dificandâ domo Domini. Ut autem Dei populus tantò confi-  
 dentius & alacrius in hoc opere continuaret, Deus non modo



per *Zachariam* Prophetam, verum & *Higgeum* sui populi animos  
firmo solatio erigere voluit. Facit hoc nosse in specie Prophetæ  
in prima 2di, capituli parte. Solatii duo sunt fontes,

Prior quasi externus, & non impedienda futuris temporibus  
structura posterioris domus. Rationem priorem sumit à gratiosa  
Dei presentia: Vobiscum sum dicit *Iehova* *Zebaoth* Hag. 1, 13. c. 2, 5.  
posteriorem, à memoriâ gratiosæ sui fœderis, quod olim cum *Judæ-*  
*orum* majoribus sanxit, cum eos potenti manu & extenso bra-  
chio ex *Egypto* educeret, perq; quadragenariam in deserta *A-*  
*rabia* errationem in promissionis terram duceret v. 6. Vbi no-  
tandum obiter, hoc fœderale verbum cuius memoriam *Haggæus*  
sui temporis populo sub enimum revocat, non esse intelligen-  
dum fœderale Verbum legis in monte *Sina* solenniter, magna tamen  
cum populi trepidatione, promulgatum *Exod*: 19. & 20. Hoc  
enim fœderis verbum non fuit gratiæ & clementiæ, sed iustitiæ.  
Vide *Jer*: 31, 32. & seq. 2: *Cor*: 3. Nosse vero Prophetæ *Cōsolatorem* h. l.  
agens, gratuitum vel gratiæ sedus h. l. intelligit, partim pro-  
missionis gratiosæ habitations in populo *Exod*: 25, 8. partim re-  
lectionis populi in peculium & Regium Sacerdotium *Exod*: 19. v. 5. 6.  
partim gratiosæ comitatus populi per Angelum & Spiritum sanctum.  
Angeli expressa sic mentio *Exod*: 14, 19. c. 32, 34. Hic Angelus  
singulari plane modo describitur *Exod*: 23, 20. & seq: ubi inter  
alia hoc habetur, quod hic Angelus *Iehovæ* nomen in medio sui ha-  
beat v. 21. Hinc nominatur *Iehova* *Exod*: 13, 21. Qua phrasi inveni-  
tur ὁμοσιὰ huius Angeli cum *Iehovæ*. Ab *Esaia* vocatur Angelus  
divinæ faciei c. 63, 9. divinam faciem Essentialiter representans.  
Estq; nullus alius, quam æternus Patris Filius, patri ὁμοσιος,  
quia cum Patre unum *Joh*: 10, 30. ἀπάνυσμα τῆς δόξης καὶ χα-  
ρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως αὐτῆς *Ebr*: 1, 3. Hic Angelus se præcætabat  
& interdum visendum exhibebat in columnâ nubis *Exod*: 13, 21, 22.  
c. 40. v. 36, 37, 38. Hæc ipsa nubes erectum tabernaculum con-  
ventus operuit *Exod*: 40, 34. Fuit autem hæc nubes præfiguræ-  
tio ἐνσάρκώσεως τοῦ λόγου. Quo alludit Paulus, scribens, in Chri-  
sto vel in Carne Christi, ut in proprio templo *Joh*: 2, 20. habitare  
πάν τῶν πλῆρωματῆς θεότητος & quidem σωματικῶς *Col*: 2, 9.  
Sanctus Spiritus sese præcætabat & ἱκανορικῶς de nocte visen-  
dum



dum exhibebat in columna ignis, in certum *τεμνήμερον* divini favoris & amoris erga populum. Verum testatur Esaias, Israelitarum temporis sæpè exacerbasse, vel dolore affecisse S. Sandum Es: 63, 10. Hoc est illud gratiæ fœdus, de quo Haggæus citato loco, gratiosa sc. SS. Trinitatis præsentia. Manifestum ergo in Haggæi verbis SS. Trinitatis mysterium continetur, ut & in productis Esaiæ verbis. Quæ V. T. loca contra Anti-Trinitarios diligenter sunt notanda.

Posterior consolationis fons internus quasi, est desumptus à prelatura, vel majore Majestate posterioris templi præ priore v. 9. Major erit gloria domus hujus posterioris quam illius prioris, ait Iehova exercituum. In Ebræo *גדול* Magna novissima domus gloria *יד* præ prima. Magna i. e. major. LXX. *μεγάλη ἔσται ἡ δόξα τῶ οἴκου τῆς ἐσχάτης* vel, *ἡ ἐσχάτη δόξα ὑπὲρ τὴν πρώτην*. Vbi quaeritur, in quo illa prelatura vel præ eminentia consistat? In hujus quaestioni enodatione, per *ἄγον* progressus insitruendus 2. Per *θέσιν*. Hæc prelatura non consistit PRIMO in externa posterioris templi structura, vel externo edificio, quod longè inferius erat splendore & magnificentia Salomonici templi ratione tum *Quantitatis* tum *Qualitatis*. Legatur historia structuræ Salomonici templi 1. Reg: 6, 2. Chron: 3, 4, 5. Confirmat id ipsum Haggæus C, 2, 4. Quis inter vos reliquus est, qui vidit domum istam in gloria sua priore, æquid vos videtis eam nunc, nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris. Chaldaus. Quasi res nihili, sic ipsa est in oculis vestris. Es dandæ eud nichts seyn. Et fuit hæc præcipua causa lamentationis Seniorum inter Levitas & populum, qui jam anno 2. à reditu templi fundamentis, quiq; priorem Salomoniam domum viderant. Esr: 3, 12. Hanc causam Iosephus, ipse Judæus aperit lib. 11. Antiquit. c. 4. Principes ætate præfectiores qui & illud prius templum videre meminerant, magnum & opulentum & hoc recens pro presentium fortunarum tenuitate deterius fieri animadvertabant, reputantes quantum ab illa prisca felicitate abesset, obortâ inde mœstitia, temperare à lachrymis non poterant.

Judæi ex hoc præsidio ejeti, hanc prelaturam sive præ eminentiam lo cant in templo Herodis splendide & magnifice exornato. Quæ de re, Iosephus legi potest lib. 15. c. 14. quod templum



plum alij **TERTIUM** vocant. Verum hoc effugium nullum est 1. Herodes nullum hæc de re habebat Dei mandatum 2. Non Dei, sed Propriam gloriam quæsit. 3. Factum id est ex merito; eoq; hypocritico prætextu. Cum enim tyrannus esset & Hasmoneæ familiæ, Davidicæ præsertim domus, hostis insensibilissimus, id quod Tyrannica ipsius facta palam tū testabantur (Fuit enim Rex Davidici sanguinis sitientissimus, Josepho teste) voluit hoc externo Schemate & blandimento quasi offensos Judæorum animos sibi conciliare. In sua quidem ad Judæos oratione his verbis usus est, se hoc opus perferurum ad Dei gloriam & debita *εὐχαισθήρια* persolvenda, memor acceptorum beneficiorum. Verum fuere hæc blandimenta, pallia & tegumenta Tyrannici cordis. Simili usus est locutione ad Magos, ex Oriente venientes & Judæorum Regem recens natum quærentes. Ire & diligenter inquirete de puerulo isto, posteaquam autem istum inveneritis, renunciate mihi, ut ego veniam & adorem eum Matth. 2, 8. Das war Herodis Rotwelsch, attestante id sanguinaria Bethlehemiticorum infantum trucidatione.

Verum 1. quis sanæ mentis hanc Herodis posterioris tēpli exornationem & amplificationem simulato & hypocritico sine susceptam gloriam faceret posterioris domus, præferendam præ gloriâ domus prioris. 2. Puerit sanè hæc Herodiana templi exornatio & amplificatio splēdida, magnifica, æquiparari tamē nullo modo poterit cum Salomonicæ templi, miraculi mundi, splendore & magnificentia ut penitus conferenti apparebit, id quod ipse David Kimchi fassus est. 3. Propheta Haggæus ad gloriam posterioris templi respicit non humanam, in externo aspectu consistentem, sed divinam, in Dei judicio talem Deus verò in suo judicio non respicit ea, quæ ante oculos sunt 1. Sam. 16, 7. Propterea Dei judicia non κατ' ὄψιν Ioh. 7, 24. 4. Ea propter dicit Dominus per Haggæum: EGO (non Herodes) impleturus sum hanc domum gloria. De DIVINA ergo gloria, non humana ab hominum vel arte vel artificio originem sumentē, hæc gloria omninò intelligenda est. 5. Quale hoc fuisset solatij genus, a Propheta Dei nomine tum propositum ad animationem circa strenuam structuræ posterioris domus continuationem.

Edifi.



**E**dificate hoc templum, & strenuè pergite, confortamini. Herodes enim Rex suo tempore hanc domum totaliter ferè diruet, & longè splendidior em eriget & magnificentius exornabit. Nonne afflicta tum populus hanc animationis causam invertere & revertere potuisset? Sin ita se res habet, nos frustra in hoc extruendo non defatigabimur? Id ipsum quod hic Iudæis opponimus, & Iesuitæ Rieberæ oppositum esto, qui & ipse (vacillante tamen animo) hanc prærogativam de Herodiana posterioris templi exornatione & ampliacione (hac in parte Iudaizans) interpretatur, ita tamen ut vocem *Pax* in illo ipso versu spiritualiter cum orthodoxis interpretibus explicare cogatur de pace spiritualiter per Christum reparanda. Verum uniuscujusq; loci Bibliici unicus tantum est literalis sensus. **SECUNDO**, non in externis posterioris templi divitijs & thesauris, uti Iudæi somniant, qui desiderabilibus hujus mundi divitijs auro & argento dementati, hanc gloriæ posterioris templi prælaturam consistere suaviter fingunt in majore auri & argenti copia per gentiles præsertim importanda, propterea recentiores Iudæorum Rabini & commentatores vocem *מדה* de gentium divitijs & thesauris maxima auri & argenti copia interpretantur. Ego commoturus sum omnes gentes & venient desiderium (id est res desiderabiles) omnium gentium, quo ipso implebo hanc ipsam domum gloria, inquit Iehova exercituum. Idem ferè innunt LXX. interpretes ἡξεν τὰ ἐκλεκτὰ πάντα τῶν ἐθνῶν. Videantur Commentaria R. Aben Esræ, R. David Kimchi R. Schelomo Iarchi in hunc Haggæi locum, Sua-ve sanè somnium! 1. Proben recentiores Iudæorum Rabini gentilium thesaurum, aurum, argentum in posterius templum, ut ipsi fingunt, importandum, nominandum כבוד **GLORIAM** qua ipse Iehova exercituum hanc ipsam domum impleturus sit. Nos negamus, affirmantibus verò probatio incumbit. 2. Recentioribus hisce Rabinis opponimus Rabinos vetustiores. In libro Sanchedrini in capite Helec citatur Akiba (qui in secundo post Christum natum centenariio tempore Adriani vixit) hunc Propheticum locum ita exponens. Adhuc unum modicum est & ego commovebo cælum & terram & adducam desiderium cunctarum gentium, de diebus Messie & de Rege Messia & de tempore quod fuit post destructio-



*nem primæ domus. Alia explicatio : Adhuc unum modicum est, modicum sc. regni venturi Israël post destructionem prioris domus & postea veniet M B S S I A S. Ubi hic Gentilium aurum & argentum in posterius templum copiosè importandum ? 3. Deus ipse hanc externam & verè caducam fluxamq; gloriam respuit in verbis immediatè subsequenti v. 9.  $\omega\rho\epsilon\nu\theta\epsilon\tau\iota\kappa\omega\varsigma$  quasi insertis. Meum est aurum, meum est argentum, inquit Iehova exercituum, id est (explicante Tremellio converso & illuminato Iudæo) quod fuit prior domus auro & argento ornata, ne afficiat vos. Nam illa tam mei juris sunt, quam olim fuerint. Mea est terra & omnis plenitudo eius Ps. 24, 1. Ego hanc posteriori domui ornatum longè ampliorem, & gratiorem adhibebo, nempe pacem æternamq; prosperi tatem v. 10. & gloriam verè divinam. 4. Probenz prædicti Iudæorum Commentatores  $\text{מדת}$  vocem res gentium desiderabiles aurum argentum margaritas & alia notare. Grammaticus verborum positum hisce Rabbiniis subsidij subministrat  $\text{בא}$  venient desiderium. Est enim Enallage numeri in sacris non aded infrequens 2. Sam: 10, 9. de Ioabo contra Ammonitas pugnante legitur, faciem belli contra se fuisse, ubi voci pluralis numeri  $\text{בני}$  additur verbum singulare  $\text{היתה}$  pro  $\text{היו}$  Job. 29, 10. vox procerum  $\text{נחבא}$  pro  $\text{נחבא}$  occultabant, pro occultabat. Cant. 5, 16. palatium eius  $\text{ממתקים}$  dulcedines & ipse totus desideria  $\text{מחמדים}$  Dan. 9, 23. de Daniele *quis*  $\text{המדות}$  desideriatu, id est, *vir desideriorum*, ut explicatur cap. 10, 11. Voluit autem Propheta noster hoc singulari verborum positu non sine causa uti. Cum enim vox  $\text{מדת}$  *colledivum* hoc loco sensum in se contineat, omnium gentium desiderium notantem, voluit sanctus Dei Spiritus hanc collectivam vocem conjungere cum verbo pluralis numeri, per syllepsin in omnibus lingvis frequentissimam. Execratione vero dignum est, quod Kimchi præpositionem  $\text{ב}$  voci  $\text{המדות}$  præfigit, in hoc ipso loco : *omnes gentes, quas commoturus sum è locis suis venient ב*  $\text{המדות}$  *cum desiderio, vel rebus desiderabilibus omnium gentium & c.* An non per execrandam hanc  $\text{ερεβλην}$  inanis in propheta verbis est  $\text{παντολογια}$  ? Commovebo omnes gentes & venient ad hanc domum Bechemdat cum desiderabilibus omnium gentium ? Ob hanc maledictam perversitatem in magnis Biblijs Venetianis explicatio Abea Bira & R. Salomonis in hunc versum studio omissa*



omiffa fuit, nec immerito. Respicit enim Propheta per vocem  
 תְּמַרָּה ad id, quod Gentiles in possessione non habebant, ejus  
 tamen ardenti desiderio tenebantur. Nos ergo cum veteribus  
 Iudæis (quorum testimonia citari possent, in Intimationis an-  
 gustia id pateretur) hancq; vocem de singulari MESSIÆ  
 personâ explicamus. Est enim descriptio MESSIÆ no-  
 stri, qui verè fuit תְּמַרָּה gentium vel תְּמַרָּה Gen: 49, 10. *ωρο-*  
*δοξια εθνων* populorum signum DJ vexillum gentium *תְּמַרָּה* inquisito-  
 rium, repertorium, Commentator Esa: 11, 10. tot desiderijs & à  
 fidelibus V. T. distinctis temporum intervallis diu desiderijs &  
 Gen. 4, 2. c. 49. v. 18. Pl. 14, 7. Esa 45, 8. c. 64, 1. Luc: 10, 24.  
 Ioh: 8, 56. 1. Pet: 1, 10. Matth: 11, 3. ubi vocatur *ωροδοξη* expe-  
 ctatio. Hinc Lucas de Anna Prophetissa scribit, quod publicè in  
 templo Hierosolymitano de singulari infantulo tum presenta-  
 to testificata sit ad omnes *ωροδεχμενας λυβρωσιν εν ιερουσαλημ*  
 Luc: 2, 38. 5. Ipsi largimur aliqua lem (non tamen primariam)  
 posteriori templo gloriam conciliaffe copiosum Gentilium ad  
 posterius templum affluxum (quem Propheta noster commoven-  
 di verbo intendit. Conferantur reliquæ Prophetiæ Esa. 2. v. 2, 3.  
 Mich: 4, v. 1. 2. Esa. 60, 4. 5. Ier: 3, 11. Zach: 8, v. 20. & seq.  
 & complementum in N. T.) Rabbiorum verò additamentum  
 de copiosa auri & argenti gentilium in posterius templum im-  
 portatione omni scripturæ fundamento destituitur. 6. Quicquid  
 sit, si vel maximè gentiles ad posterius templum cum honorarijs  
 & donarijs aureis & argenteis venissent, & ita non vacui coram  
 Domino apparuissent, negamus tamen hæc gentilium donaria  
 majorem posteriori domui G L O R I A M conciliaffe, præ prio-  
 re. 7. Prænominitis recentioribus Rabbinis & hodiernis Iudæis  
 probandum incumbit, gentiles majorem auri & argenti copiam  
 in posterius importasse templum quam prius Salomonicum ha-  
 buit. Nos negamus 1. Ob immentam auri & argenti vim à Davi-  
 de Salomoni reliquam, idq; ex triplici collectione vide 1. Chron:  
 22, 14. c. 29. v. 2, 3, 4. 7. Stupendæ hujus summæ supputatio ali-  
 bi instituta est. 2. Od copiosam auri & argenti vim tempore Sa-  
 lomonicæ regni post templi & Regij palatij extruccionem. Refert  
 enim Sanctus Dei Spiritus omnia vasa tum sacra tum profana fu-  
 isse pure aurea, argentumq; in vili fuisse pretio, ejus copiosam fu-



isse multitudinem instar acervi lapidum 1. Reg: 10. v. 21, 27. 2.  
Chron: 9, v. 20, 27. Et licet Cyrus Rex nonnulla aurea & argen-  
tea vasa, Iudæis in reditu ex Babylone, restituerit, quæ Nebu-  
cadnezar in expugnatione Hierosolymitana Babylonem secum  
sumserat Esræ 1. v. 9. 10. illud tamen haud dubie de minoribus  
tantum vasis intelligendum est, ut ea ibidem nominatim recen-  
sentur. De vasis enim majoribus aureis & æreis à Salomone factis  
expresè scriptum est, quod Chaldæica contriverint secumq;  
Babylonem abduxerint 2. Reg: 24, 13. C, 25, 18. Propterea ipsi  
Thalmudistæ referunt, vasa ferè omnia, quæ in primo templo  
fuere aurea in secundo facta esse ærea. Legatur Galatinus lib. 4.  
c. 9. 8. Recentiores Iudæi & Rabbini hoc suavi aureorum & ar-  
genteorum montium somnio sese toti mundo prodiderunt,  
quam maxime inhiant gentilium in toto mundo bonis.

Der Othem stinckt ihnen nach der Heyden Gold vnd Silber /  
Qua de re B. Luth: nervosè scribit de Iudæis & eorum menda-  
cijs Tom: 8. Ihen: Germ: der text im Haggæo sol nach der Juden  
drehung also stehen. Noch vber ein Kleines so sol Kommen Zemdath  
die begierd aller Heyden. Was ist das? Was begehen die  
Heyden? Gold / Silber vnd Kleinoth. Mächtest vteleicht fragen /  
warumb die Juden solche glossen hie machen? Ich wil dir sagen der  
Odem stinckt ihnen nach der Heyden Gold vnd Silber. Denn kein  
Volck vnter der Sonnen getziger / denn sie sind / gewest ist / vnd sind /  
vnd immer fort bleiben / wie man siehet am ihrem verfluchen Wut-  
cher. Vnd sich auch trösten / wenn ihr Messia Kombt / sol er aller  
Welt Gold vnd Silber nehmen vnd vnter sie theilen. Darumb wo sie  
können die Schrift auff ihren vnsettigen geitz ziehen / das thun sie  
mit allem strewel / du kanst denken / das GGr vnd seine Propheten  
sonst nichts zu weißagen gewißt haben / denn wie der grundlose geitz  
der verdamten mit der Heyden Gold vnd Silber zu settigen sey. Aber  
diesem geitzigen verstand nach hat der Prophet nicht weißlich geredt /  
sondern solt also gesagt haben / vber eine kleine Zeit so sol Kommen die  
begierd der Juden. Denn die Juden sinds / die heftiger begehren  
Gold vnd Silber / denn kein Volck auff Erden. Legantur & alia  
subsequentia B. Lutheri verba urgentia & Heroico spiritu plena.  
Ex Christianorum ergo finibus hæc rancida recentium Iudæorum  
glossa de aurea & argentea posterioris domus gloria procul re-  
legetur, cum illustre hoc de Messia vaticinium tali perversione  
planè tollatur, & pro Messia fluxum gentilium aurum & argen-  
tum per abominandam Iudificationem substituat.



**TERTIO** *Nec ratione externa sanctitatis* posterior domus  
 majorem præ priore **GLORIAM** habuit, imò hoc respectu  
 major Salomonici templi fuit Gloria. 1. Ratione magnificæ in-  
 augurationis ab ipso Salomone peractæ 2. Ardentissimarum præ-  
 cum publicè ad Deum à Rege tum fusarum, 3. Magnifici & verè  
 stupendi inauguralis sacrificij. 4. Cœlestis ignis, qui inaugurale  
 hoc sacrificium cœlitus absumentebat. 5. Ratione vasorum in Sa-  
 lomonicum templo contentorum. 6. Respectu divinæ gloriæ  
 quæ Salomonicum templum tempore inaugurationis gratiosissi-  
 mè implebat, ita ut sacerdotes templum ingredi non potuerint,  
 7. Ob majorem numerum Prophetarum, qui durante Salomo-  
 nico templo Hierosolymis dubio procul & in templo propheta-  
 runt. 8. Ob celeberrimos Davidicos Reges, qui stante Salomo-  
 nico templo Dei populum Hierosolymis rexerunt. Hac de re  
 legatur in specie caput octavum prioris Regum, capita quintum,  
 sextum, septimum posterioris Chronicorum, & historia Davidi-  
 corum Regum. 9. Primariū verò ad externam Sanctitatē Salomonico  
 templo conciliatam erat 1. Arca fœderis cum omnibus pertinen-  
 tijs. 2. Duabus tabulis legis digito Dei scriptis 3. propitiato-  
 rio ex puro auro 4. Cherubim 5. Vrim Thumim vel pectorali  
 summi Pontificis 6. Dei gloria, quæ in Salomonico templo  
 inter alas Cherubinorum apparebat. Hinc ipsi Thalmudistæ in  
 libro Sanhedrin Hierosolymitano cap: Ellohen haggolin *hisunt*  
*captivi* referunt in posteriore templo quinque sanctissimas & præ-  
 tiosissimas res defuisse. Ignem cœlestē sc. sacrificia absumentem 2.  
 Vrim & Thumim divinum futurorum eventuum indicem. Legatur Io-  
 sephus lib. 3. Antiquit: c. 9. 3. Arcam fœderis cum omnibus an-  
 nexis. 4. Divinam gloriam Sancto Sanctorum inter Cherubino-  
 rum alas apparentem 1. Sam: 4, 4. 2. Reg: 19, 15. Ps. 80. 2. 5. S.  
 Sanctum, qui in priore templo unctioni prophetarum & sum-  
 morum Pontificum peculiari aliquo signo interesse solebat. Hæc  
 quinque defectiva ipsis Rabbini commentatoribus fatentibus  
 à Propheta & Masoretis mysticè esse notata, in defectu literæ ך  
 quinarj note in voce חַבְדִּים Hag: 1, 8. Hæc satis firma sunt pro-  
 prerogativa prioris templi præ posteriore respectu *externæ Sancti-  
 tatis*.



**QVARTO** Verum adhuc unicum recentiorum Rabbi-  
 norum & Iudæorum restat latibulum, quod in temporis duratio-  
 ne locavit. Posterius templum longius stetit priore Salomonico.  
 Ergo majorem posterior domus inde reportavit gloriam. Quod  
 si quæras intervallum longioris illius durationis? Decennij spa-  
 tio id determinant. Consulantur prænominati Rabbinici  
 Commentatores. O miserum effugium! quo ipso manifestarunt  
 malitiosam eorum tum excæcationem, tum indurationem.  
 Quis nostrum credet Haggeum in extollenda prælatura postea-  
 rioris templi præ priore ad hoc breve temporis intervallum re-  
 spexisse? 2. Propheta singularem quandam prælaturam intendit  
 eamq; manifestam, omnibus conspicuam & admirabilem. Apa-  
 ge ergo cum istis Rabbinicis ineptijs ipsa vanitate vanioribus!  
 Πάσωντες είναι οσφὶ ἐμπεράτωρον Rom: 1. v. 22. Ach das doch die  
 Juden einen guten Astronomum hie hetten gehabt / der es ein we-  
 nig genawer hette abgerechnet der wurde vieleicht gefunden haben/  
 daß es zu den 10. Jahren noch 3. Monden / 2. Wochen. 5. Tage 7.  
 Stund 12. Minuten vnd 10. halbe Minuten druberge weßt weren.  
 Wenn etwo ein Kramer were / der Schamrot feil hette / dürffte Ich  
 den Juden ein par Gulden schencken / daß sie hin grengen / vnd ein  
 Pfund keufften / vnd doch die Stirn / Augen vnd Backen damit be-  
 strichen / wollen sie ja ihr unverschambres Herz vnd Zungen nicht  
 damit bestreichen. Oder meinen Sie / daß sie mit Sträcken vnd Klößen  
 reden / wie sie selbst sind die Ungelahrten groben Esell? Verba sunt  
 B. Lutheri in præcitato libro. 3. Si vel maximè diutius posteri-  
 us templum stetisset, non modò ad decem, verum & ad centum,  
 vel etiam ducentos annos, exinde tamen parum glorie poste-  
 riori templo accessit. Quo enim diutius stetit, eo plus fuit  
 profanatum I. A summo Pontifice Iohanne (vel Iochanan uti vo-  
 catur Neh: 12, 22, qui & Ionathan v. 11.) qui fratrem suum Iose-  
 phum in posteriore templo interfecit, nefando facinore Iose-  
 pho teste lib. 11. Antiquitatum c. 7. ubi simul refert, Bagosen  
 Persicæ militiæ Ducem hac occasione templum polluisse. 2. Ab  
 Antiocho Epiphane, qui & vasa Dei, quæ in Ministerio erant,  
 vastavit, & Iovis olympi simulachrum eodem in templo pos-  
 suit. Legatur prior Maccabæorum, & Iosephus lib: 1. belli c.  
 I. 3. Pompejo, qui Hircano & Aristobulo Alexandria Judæorum  
 Regiæ



Regiæ filijs, de imperio dimicantibus Hierosolymam veniens  
captâ urbe & templo reserato usq; ad Sanctum, Sanctorum ac-  
cessit Anno 61. ante Messia nostri Nativitatem Iosephus lib. 14.  
Antiquit. c. 8. 4. M. Crasso, cui Eleazarus thesaurorum custos  
trabem auream offert 750. librarum auri, ne templum spolia-  
ret. Crassus; contra datam fidem templum spoliat, & ex eo au-  
fert ultra 10000. talentorum, teste Iosepho lib: 14. cap. 12. 5.  
Ab Imperatore Caligulâ, qui suam imaginem templo inferen-  
dam Petronio Syriæ Præsidi præcepit. Quanquam Iosephus lib.  
18. cap. 11. referat Petronium Caligulæ mandatum distulisse,  
motus continuis tot millium Iudeorum precationibus, ne tem-  
plum profanaretur. 6. *Ab ipsis Iudeis*, ita ut verè Servator noster  
dixerit: *Domus mea domus precationis est, vos autem fecistis eam spe-  
luncam latronum* Matth: 21, 13, Luc: 19, 46. Vide & Ioh: 2, 16.  
Et quæ fuere aliæ posterioris templi profanationis, ob quas id  
ipsum in viliori longè conditione fuit quam Salomonicum  
Templum.

His ita per *ἄρον* contra pertinacem Iudeorum perfidiam  
pertractatis, ipsa THESIS producenda & probanda esset,  
præminentiam vel prelaturam posterioris templi præ prioris in  
nulla re alia consistere, quàm in Messia, in posteriore templo,  
presentatione, & per singularem doctrinam, divinaq; plane  
miracula manifestatione. Verum Academicæ Intimationis ha-  
bita ratione hic vela contrahimus, hancq; Theticam probatio-  
nem & Confirmationem in aliud tempus differimus.

Vestrum est, Academici Cives, hanc Nataliciam Regis  
Regum & Domini Dominantium festivi atem debitâ devotione,  
debitisq; laudibus peragere, patriæ statum cum novi anni Ex-  
ordio Deo ardentibus votis commendare, dicentes cum Sanctis  
Dei Viris & Ecclesia. *O profunditatem divitiarum Sapientia &  
scientia Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & imperve-  
stigabiles via ejus? O admirabile commercium, Creator generis huma-  
ni animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est, & per ces-  
dens homo sine virili semine largitus est nobis suam Deitatem! Oma-  
nium Mysterium & admirabile Sacramentum ut animalia viderent*  
Dami



Dominum natum jacentem in præsepio! Dies est læticiæ, in ortu Re-  
gali: Nam processit hodie de Ventre Virginali, puer Admirabilis, to-  
tus delectabilis in humilitate, qui inestimabilis est & ineffabilis in Di-  
vinitate; Grates nunc omnes reddamus Domino DEO nostro, qui sua  
Nativitate nos liberavit de Diabolica potestate. Huic oportet ut cana-  
mus semper cum Angelis: GLORIA in excelsis. GLORIA Tibi Domi-  
ne qui natus es de Virgine cum Patre & S. Spiritu in sempiterna secu-  
la. Domine, custodi exitum exeuntis, & introitum ineuntis anni ex  
hoc nunc et usq; in seculum. Annus finit iter, finem Da Christe malorum!  
Conserva tuam inter nos Salpifici tui Verbi puritatem, ut & legiti-  
mum Sacramentorum usum. Conserva Christianum nostrum Magistra-  
tum, Serenissimum & Potentissimum Vladislaum IV. Poloniae & Suce-  
ciæ Regem triplici PACIS corona Felisem, Augustum, Dn. nostrum,  
longè Clementissimum, Serenissimum item & Celsissimum Principem ac  
Dn. D. GEORGIVM VVILHELMVM Brandenburgicum Electorem  
in Borussia & c. Ducem Dn. & Nutricium nostrum laudatissimum, cum  
Serenissimâ Coniuge, liberis, totaq; Domo Brandenburgicâ. Compe-  
sce, Domine, bella. Da Germaniæ PACEM quam Borussia imò toti  
Poloniæ regno Clementer concessisti. Conserva illustres Borussiae  
Ducatus Regentes omnesq; ordines in tui Verbi Veritate & puritate.  
Conserva Academicas Musas, miserè gementes. Mitte auxilium de  
Sanctuario tuo. Concede Musarum Patronos, Fautores, Nutricios, Be-  
nefactores, qui collapsis Musarum rebus non tam Verbis, quàm reali  
subsidio succurrant, ne ab omnibus derelictæ à nobis planè exulare cogan-  
tur. Fiat porrò, Domine, Tua super nos misericordia, quemad-  
modum speravimus in te. Benedic nobis Iehova &  
custodi nos, Attolle faciem tuam super nos,  
& gratiam fac nobis, Attolle Iehova  
faciem tuam erga nos, & DA  
NOBIS PACEM.

Amen.



IN SOLENNEM DIEI NA-  
TALITII IMMANVELIS NO-  
STRI FESTIVITA-  
TEM.

**H**Æc cui sunt sacra tempora,  
**C**HRIſTUS Terrigenum ſalus  
Phœbeâ canit incolas  
Orbis voce beatos,  
Qui pacis ſtudio aurea  
Delectentur amabili,  
Ferorem ac tumidos premant  
Motus litis acerba.  
Nam cariſſima prædicat,  
Præ conſoribus omnibus,  
Æterni Patris, ut quoque  
Clara pignora lucis.  
Cum nunquam patria rigent  
Fuſo compita ſanguine,  
Nec rixis animos noſtis,  
Conturbentque tumultu.  
Sed quis filius hic Dei?  
Aut quem PACIFICVM putes?  
Soluſ Patris Olympici  
**C**HRIſTUS numine gaudet.  
Adventat ſtudioſa  
Pacis deditus, unice,

C

Hunc



Hunc vita columnen suæ  
    Laudent secla nepotum.  
Hic natalibus editus  
Divis, fabrica cum poli  
Nondum luminibus suis  
    Splendens, vixit ab ævo.  
Æternum NIHIL, ardua  
Moles unde suos tenet  
Ortus. hic oculus probè  
    Observavit acutis.  
Et pulchram medians vice  
Diversâ faciem rei  
Non visa, insuperabilis  
    Pandit roborâ dextra.  
Postquam factus HOMO DEVS,  
Quam de Patre potentiam  
Possedit, nihilominus  
    Æquâ sorte tenebat.  
Hinc conatus inutilis  
Est, cum perfida concio  
Perpestrata Deum putat  
    Unquam facta latère.  
Nam multis oculi illius  
Excedunt radios modis  
Solares, tenebras fasit  
    Clarâ luce coruscas.

Nec



*Nec distantia te loci  
A vultu removere jovis ;  
Non extrema procul tegunt  
Vastæ littora ponti.*

*Insanus furor insuper  
Dicendus meritis, levis  
Cum decertat homo Dei  
Contra brachia Nati.*

*Accendit rabies stygis  
Dira ad prælia milites,  
Nec vis innocuo prece  
Parcit flexa cruori.*

*Ut CHRISTVM jugulent pio  
NATVM in tempore cœtui,  
Mucrones acunt suos,  
Gestant spicula mortis.*

*Adversus Dominum, illius  
Et Christum rabidi fremunt  
Osores ; nihil at manus  
Sævis efficit armis.*

*Ne vilis tibi scandalum  
Aspectus creet, haud ibronum  
Quarrit marmore splendidum,  
Fulgentiq; metallo :*

*Æternos herus experit  
Fasces, quos patrius favor  
Decreto stabili dedit,  
Nec vis auferet ulla.*

*Dentes*



Dentes comminuit feris,  
Qui calcant scelerum vias,  
Et jus fraudibus implicant,  
Spretâ legis habenâ.

Nam cum pacificus gigas  
Natus sit, sua dirigit  
Et conamina qualibet  
Grata pacis ad actus.

Quare sceptram icantia  
Regum subsidij loco  
Conjungit, tumor insolens  
Ut de pectore cedat.

O nunc progenies Adæ,  
Cui de sidereo datus  
Est vita columen polo  
Christus pace superbus,  
Hac Natalibus assere  
Gratus tempora ferijs,  
Ut te pax Superûm bees,  
Quâ vel parte moreris.

M. Christophorus Eilardus  
P. P.

Sub exordium Anni 1636.

